

que tam diuturni, & aliquanto longiores fuerunt labores: 1289
 ut ab illis, ita quoque ab his arma quandoque posita, odia
 vero nunquam. Eventus si non idem, non tamen omnino
 diversus. Excidit Carthago illa ingens: superba Genua, abje-
 ctis armis, quia plus non potuit, victoribus Venetis per-
 petuo cessit. De his igitur bellis dicere pergam, quæ Ve-
 neti cum ferocissimo populo deinceps gessere, si pauca ad-
 huc illis prætulerimus, quæ idcirco præferenda credide-
 rim, quia in quibusdam annalibus prius relata reperio.
 Alioquin enim ipsa temporum ratio non solum scriptorum
 perplexitate non liquet, sed quæ quibus potissimum præ-
 feras, in dubium venire possit.

Erat Gradonicus Justinopolis Prætor per id tempus, quo
 Dux est domi declaratus. Is Venetias accersitus Ducariam
 administrationem adiit, quam a divinis auspicatus, man-
 davit Catharinæ Virginis diem, quem ipse in privata for-
 tuna solennem egerat, publice observari. Credo aliquot
 Patrum decretum in novi Ducis gratiam intercessisse: quo
 factum sit, ut hoc quoquo tempore lux illa in Venetis
 singulari sit observatione, quum antea inter profestos dies
 haberi consueffet. Sed habuit fortassis ille non magis pri-
 vata religionis rationem, quam suæ creationis: quam in
 eum diem incidisse quidam auctores sunt. Per id tempus
 ferunt, Andream Pannoniæ Regem, matre Veneta ex Mau-
 rocenorum familia & Stephano Regis filio ortum, Vene-
 tias venisse: ac tantum abfuisse, quo minus maternam do-
 mum, quia in libera civitate privata esset, agnoscere vo-
 luisset, ut gentilia etiam signa in ipso rerum fastigio li-
 bens usurparit, alba tantum cruce cum parvo circulo illis
 adjecta: quo discrimine quicumque postea ea familia pro-
 geniti essent, a reliquis Maurocenis agnoscerentur. Step-
 hanus hujus pater, Ferrariæ natus est: quo mater, Ferra-
 riensis Principis filia, post viri obitum, quum ventrem
 ferret, se contulerat: sed illi adulto nunquam paternum
 regnum, quod, defuncto patre, propinqui occuparant, re-
 cuperare contigit. Umbram credo Veneti nominis secutus,
 Thomasinam Maurocenam in uxorem duxit: ex ea An-

*Gradonicus
 festum D.
 Catharinæ
 instituit.*

1290